

107. Papilio Cardui erat majus.

196. Phalaena Nymphaeata.

Anthericum Tuum *Pseudoasphodelum* optarem videre,
annon velles in literis mittere racemum s. spicam.

Lythrum virgatum incipio jam credere esse unam ean-
demque plantam cum tuo *Lythro austriaco*.

Exspectavi in hunc usque diem, in ollis meis, quod
Drypis et *Cherleria* prodirent, sed frustra, has prae reli-
quis optarem in hac vita videre.

Sium latisolum C. B. apud nos unice prodit. *Sium* s.
Apium palustre foliis oblongis C. B. non hic loci; hanc po-
steriorem plantam plures recentissimi diversam esse a priori
speciem, umbellis non tantum axillaribus, sed et involucro
universalis pinnatifido. Quaere inter vestrates numne ut-
ramque habeatis.

Dicas mihi ubi deponam pro Te specierum plantarum
tomum primum, qui hisce diebus e prelo exiit?

Doleo quod non scripseras de *Heisteria* Tua antea, quod
esset Borbonia Plumieri, et quomodo differret perfecto
charactere. Mirum plantam Lauro adeo similem non esse
Laurum! cur non citasti Plumieri iconem in Tuo opere? an
differat? an Catesbaei figura convenient nec ne?

Certus sum quod Laurus, Tinus, Winterania et Tua
Heisteria convenient ordine naturali.

CREATA UNICA PLANTA EX SINGULIS ORDINIBUS NATURALIBUS,
HAS INTER SE MISCUISSE PER COPULAS CREATOREM T. O. APERTE
APUD ME VIDEO, ET SIC ORTA FUISSE GENERA ETIAM IN PRIMOR-
DIO. SED SALVA HAC MEA HYPOTHESI NON RITE CAPIO QUOMODO
PRAEDICTA GENERA LAURI AFFINUM POTUERE PRODUCI, SED DE
HIS ALIBI.

Peltariam Tuam assumsi, et in tomo 2^{do} specierum pro-
pediem imprimam, nisi tuum librum habuissem, eandem
certe ad Clypeolam reduxissem, uti ante me Itali.

Stupenda docebat Flora tua de *Solidagine alpina* tam
varia variis in locis, unde alata et integrifolia eandem agno-